

lium. Fuit *Stephanus* iste *Cantuariensis* Episcopus mortuus anno 1228. commentatus in plurimos Libros Veteris praecipue Testamenti, ut habes apud *Caveum* et *Oudinum*, unde posterum quis facile spicas ejus *Hugonianaë* messi miscere potuit, ut pluribus Glosfarum corporibus accidit. Codicem nostrum terminat nota illa *Interpretatio hebraicorum nominum*.

XIX.

- C. 938 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 717. 4. min. per duas columnas minutius, sed nitidissime exaratus, coloribusque distinctus, olim, ut ad calcem notatur, *ecclesie sancti monasterij sancti michaelis in antuerpia*, quod est Collegium *Praemonstratensium* ab ipso S. *Norberto* fundatum, dein nobilis *Parthenonis*, qui *Halae ad Oenum* floruit, continet sacra *Biblia V. et N. T.* cum solitis *Hieronymi* Praefationibus, et Librorum Argumentis. L. II. *Paralip. fol. 242. p. 2.* adscripta est absque titulo, aut intervallo *Oratio Manassis*, huicque per errorem minio subjectum: *Explicit nehemiæ*. Rursus ad calcem *Libri Nehemiæ* five II. *Esdrae* notatum *fol. 255. p. 2. Explicit primus liber esdre. Incipit liber secundus esdre*, qui tamen est *Tertius* ille apocryphus. *Psalmi fol. 297. p. 2.* audiunt *Liber hymnorum uel soliloquiorum. Machabaeis* praefixi sunt Prologi *Rabani* ad *Ludovicum R.* et *Geroldum Archidiac.* *Fol. 658. I. Job. c. 5.*

ad testimonium terrestre omittitur 10: *Et hi tres unum sunt*. In fine accedunt notae *Interpretationes hebraicorum nominum*.

XX.

- Codex membraneus lat. Sec. R. 1108 XIV. Folior. 370. 4. min. perquam nitide, sed lyncibus scriptus columnis duabus, distinctus coloribus, et quondam, ut praefert, *S. Vdalrici Augustae*, quod O. S. B. Coenobium est, comprehendit *Sacra Biblia* Versionis vulgatae, sine *Psalterio*, nec adfunt ubique Praefationes *Hieronymi*, ea, quae in *Jobum* est, ad calcem hujus Libri scripta. Cetera rite procedunt. Nullus *Liber III. Esdrae*, nulla *ad Laodicenses Epistola*. Testimonium duplex I. *Job. c. 5. a* prima manu exactum est. Accedit solita *Interpretatio Vocum* hebr. et graec. et currente calamo adjectus Index *Epistolar.* et *Evangeliar.* per annum, sive *Lictionarium*.

XXI.

- Codex membraneus lat. Sec. R. 3146 XIV. Folior. 510. 4. min. per duas columnas minutissime, sed nitide perscriptus, coloribus distinctus, et initiis omnium Librorum adfabre picturatus *Sacra Biblia* vulgatae interpretationis, ordine consueto, Prologis *Hieronymianis* et solitis Argumentis instructa continet, excepto *Psalterio*. Adest *Esdrae Liber III.* sed in margine rubrica *Apocriphus* con-

configitur. *Baruch* ante Librum suum *Notarius ieremie* audit. *Machabaeis* praefixus est geminus *Rabani* ad *Ludovicum* Regem et *Geroldum* Palatii Archidiaconum Prologus, ubi ad priorem notat rubrica marginis: *Vacat ista epistola et alia.* Opinor hoc sensu: Non esse canonicas, nec *Hieronymi* Praefaminibus aequiparandas. Testimonium *Job*. I. c. 5. a prima manu ita habet: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in celo. pater. uerbum. et spiritus sanctus. Et hii tres unum sunt. Et tres sunt* (parva rasura) *qui testimonium dant in terra. spiritus aqua et sanguis;* atque huc alia manus in margine: *Nota. et hii tres unum sunt.* Ad calcem brevis Prologus in librum actorum apostolorum subjungitur, quem Biblia glossata non habent. *Lucas euangelista apostolorum actus sicut euangelia ad theophylum quendam condiscipulum suum scribens mystica narratione contexuit &c.* Accedit tribus columnis Vocum hebraicarum, ut solet, Interpretatio, et Index Epistolarum et Evangeliorum per anni cursum de Tempore et Sanctis in sacro Officio legi solitorum.

XXII.

R. 332¹ Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 420. 4. min. per duas columnas nitide, sed minutissime perscriptus, et literis initiorum rubro caeruleoque variis comtus sacra vulgatae Editionis *Biblia* continet praemissa quidem *Denis Codd. Theol. V. II. P. I.*

Hieronymi ad *Paulinum* Epistola, ceterum paucis Prologis instructa. Ordo Librorum consuetus est. Liber III. *Esdrae* omissus; II. vero, si Librario credas, *Jeremiam* autorem habet; ita enim incipit: *Verba Hieremie filii Helchie pro Nebemiae. Psalterium* abest. Epistolae *Pauli* praeponuntur *Actis Apostol.* I. *Job*. c. 5. ad Testimonium terrestre non additur *ro: et hi tres unum sunt.* Ad calcem habetur nota illa Vocabulorum hebr. et graec. Interpretatio, cui quidam adlevit Epistolam ad *Robertum*, quae *Bernbardinorum* chorum ducere solet.

XXIII.

Codex membranaceus lat. Sec. R. 1685 XIV. Folior. 388. 8. maj. per duas columnas nitide, sed minutissime perscriptus, coloribus illustratus et quondam Bibliothecae Civicae Vindob. sacra vulgatae Versionis *Biblia* continet Prologis *Hieronymianis* et solitis Argumentis instructa, in quibus Libri ordine consueto decurrunt. Post L. *Nebemiae* adest L. spurius *Esdrae* hic II. adpellatus. Post L. *Esther* inconcinne *Incipit ordinarium Evangeliorum et Epistolarum*, id est Lectionarium per annum; tum sequitur e calce Codicis male huc trajectum *ult. Folium Interpretationum hebraicorum nominum*, demum *Canon Missae* praeviis diversis per annum Praefationibus, quas inter etiam *pro Defunctis* propria hoc tenore: *Per Chr. D. N. Qui mortem nostram moriendo*

C

de-